



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

V. Explicatur hæresis Nestorij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

fœminæ conclusa manserit, ut in cruce mortua pependerit, &c. ergo non verè sed simulatoriè Verbum caro factum est, &c. R E S P O N D E O, verissimum esse antecedens, & inde rectè colligi, nec verè nec simulatio in carnem conuersam esse diuinitatem. At non esse indignum Deo, ut secundum formam humanam assumptam in utero Virginis clausus manserit, & in cruce mortuus pependerit: & idcirco nec sequi ut Verbum non verè sed simulatoriè caro factum dici debeat.

C A P V T V.

Explicatur hæresis Nestorij.

ALTERA hic tractanda est controvèrsia cum Nestorianis, quæ est tertia pars propositæ disputatio[n]is. Sciendum igitur est, CHERINTVM olim separasse IESVM à Christo, & IESVM purum hominem esse voluisse, ex Maria & Joseph natum; Christum autem esse Filium Dei, qui tandem tempore Baptismi in forma columbae in IESVM descendenterit, ut refert Irenæus lib. I. cap 25. Hanc hæresim postea iterum excitârunt Pelagiani quidam, qui, ut scribit CASSIANVS lib. I. & 6. de incarnatione, docuerunt, purum hominem de Maria esse natum, & cunctum suis meritis anno XXX factum esse Christum, & post passionem suis etiam meritis, factum esse Deum, & posse eodem modo alios homines suis viribus bene vivere, & ad beatitudinem peruenire, sicut Christus peruenit.

Paulò pòst, candem hæresim docere cœpit NESTORIVS Patriarcha Constantinopol. & cum eo A N A S T A S I V S eius Presbyter, necnon THEODORVS Mopsuestenus Episcopus, & alij quidam. Docuerunt enim B. Virginem purum hominem peperisse, & qui non solum naturam, sed etiam personam humanam haberet, & proinde B. MARIAM non esse Dei genitricem, sed CHRISTI genitricem; & natuitatem, passionem, resurrectionem, ascensionem Christi soli homini tribuendam.

Addebat autem, Filium Dei unitum esse postea Filio hominis multis modis, nō quidem substantialiter communicando hypostasim, sed accidentaliter. PRIMO, secundum

habitationem, quia Verbum habitauit in homine Christo, ut in suo templo, iuxta illud Ioan. 2. *Soluit templum hoc, in tribus diebus excitabo illud.* Et propterea dicebant Ihesus cap. 7. caute scriptum esse: *Vocabitur nomen eius Emmanuel, id est, non vocabitur Deus, sed nobiscum Deus, id est, in nobis habitas, iuxta illud Ioan. 1. Et habitauit in nobis.* SECUNDUM per unionem voluntatis & dilectionis, quia Filius ille hominis coiunctissimus erat semper cum Dei voluntate. Addet. Theodorus similitudinem, quae refertur in V. Synodo can. *Ut enim vir, & mulier duæ persona sunt, & tamen dicuntur unum caro in Scripturis propter copulam coniugalem, ita etiam Filius Dei, & Filius hominis duæ persona sunt, & tamen dici possunt unus Christus propter coniunctionem personarum.* TERTIO, secundum operationem, quia Christus homo erat instrumentum, quo vertebatur Verbum in operibus illis admirandis, quæ à Christo facta sunt. QUARTO, secundum participationem, quia Verbum illi homini impertivit nominis dignitatem suam, ut nimis Deus & Dei Filius vocaretur, & ab omnibus creaturis adoraretur, non propter se, sed propter eum à quo assumptus fuerat: eo modo, quo iunguntur Sanctorum nominibus eorum interdum appellatur, & propter eos etiam honorantur & adorantur.

Hanc fuisse Nestorij hæresim, intelligi potest ex illa compositione fidei, quam ipse edidit, & habetur nunc in volumen tomo operum Cyrilli. Item ex historia Euagrii lib. 1. cap. 8. sequentibus, in quorum septimo refert Euagrius, *Nestori miserè interiisse, lingua ei à veribus penitus anicata.* Item ex breuiario Liberati, cap. 4. Deniq; ex Theodoreto, 4. de hæret. fab. prope finem, & in reprehensione 1. anathematismorum S. Cyrilli. Theodoreetus enim initio scripti pro Nestorio contra S. Cyrrillum, & propterea anathematizantur scripta eius in V. Synodo, cap. 12. tamē postea depunitur, & reconciliatus fuit Ecclesiæ in Concilio CHALCEDONIÆ act. 8. & ideo posuit Nestorium inter hæreticos lib. 4. de ha- ret. fabulis.

Huic hæresi nō obscurè fauent, saltem in modo loquendi, Lutherus & Caluinus. Ille enim in concione de natu Domini: *Imperiti quidam, inquit, Christum hominem non poscentem faciunt.* Idem tamen Lutherus saxe continentur, docuit,

docuit, ut mihi sanè magis Eutychianista, quām Nestorianus fuisse videatur. Quod etiam vidit, & notauit Beza; nam ad finem libri aduersus Iacobi Andreae theses recitat hanc Lutheri sententiam, atque addit, Germaniæ, & totius mundi peccata fecisse, ut in ea cōfessione Lutherus non perseuerarit.

CALVINVS autem lib. I. Institutionum, cap. 13. §. 9. de Christo disputans, ut est persona quædam diuina, sic ait; Mediatoris personā nondum attingo. & §. 23. Respondeo, inquit, Dei esse Filium, quia sermo est à Patre ante secula genitus, nondum enim de mediatoris persona nobis sermo est. Et §. 24. Nam ex quo manifestatus est in carne Christus, Filius Dei vocatur, non tantum quatenus ante secula genitus ex Patre, fuit aeternus sermo, sed quia mediatoris suscepit personam, & munus. Vbi perpetuò distinguere videtur Caluinus in Christo duas personas, vnam Filij Dei, alteram mediatoris. Nec vindetur excusari posse, quasi nomine, personæ mediatoris, non substantiam, sed qualitatem intelligat, quo modo dicere solemus, aliquem suscepisse personam Iudicis aut Advocati. Nam ibidem §. 6. Personam, inquit, Voco subsistētiam. Et in toto illo capite, personæ nomine vtitur ad designandam substantiam incommunicabilem. Itaq; saltem à vitiosa æquiuocatione excusari non potest. Clarissimè autem huic hæresi fauent. BRENTIVS in lib. de maiestate hominis Christi, vbi sæpiissimè repetit, Filium Dei esse in Filio Mariae; & SMIDELINVS in thesibus, ut suprà notauimus.

C A P V T VI.

Refellitur hæresis Nestorij.

SEDE iam hanc ipsam hæresim breuiter refella-
mus, ac demonstremus, vnam in Christo esse
personam, & non putum hominem, sed ipsum
Deum Verbum, secundum carnem, de Virgine
natum, passum in cruce, ac mortuum esse. Ac primū om-
nia testimonia que protulimus contra nouos Samosate-
nos, & nouos Arianos in primo libro, ut probaremus, Chri-
stum esse verum Deum; non minorem vim habent aduer-